



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1634

De S. Paulo Apostolo Historia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40244

D E
S. P A V L O
A P O S T O L O.



PRIDIE Festi Con-
uersionis sancti Pauli
Apostoli extremam,
vt aiunt, manum huic
Operi de Sacris Riti-
bus (addidimus alia
deinde ad aliorum nutum) tum Mis-
sialis tum Breuiarij Romani, Deo dan-
te, cum essemus Perusiæ, imposuimus;
& acturi gratias, quas possemus ma-
ximas tanto Apostolo, Patrono Con-
gregationis nostræ, à quo innumera,
& præsertim in hoc Opere elaboran-
do, accepimus beneficia: in gratiam
quoque Clericorum Ordinis nostri,
quibus non dubito fore, vt qualis-
cumque noster hic labor prosit & pla-
ceat, eiusdem S. Apostoli vitam, acta,
& mortem, è grauiissimis Auctoribus
decerpta, noua quadam methodo &
Annalium forma hoc loco descri-
psimus.

Anno igitur à Natiuitate Christi se-
cundo natus est Saulus, auctore Chry-
sostomo, enumerante annos Pauli in
fine Vitæ eiusdem octo supra sexagin-
ta. Tharsi Ciliciæ ortus est, *Act.* 22.
de Tribu Benjamin, *Philipp.* 3. erudi-
tus est deinde in Ierusalem, *Act.* 22.
sub Gamaliele, *ibid.* vnà cum Ste-
phano & Barnaba, ex Luciano. Græ-
cam quoque linguam didicit puer, ex
Hieron. in *Epistola ad Algastiam*: tan-
dem grandior ætate, Phariseus factus

est, *Philipp.* 3. Genere ignobilis fuit,
ex Chrysoft. semel & iterum, *Hom.* 5.
de *S. Paulo*. Soporem habuit, cuius li-
lius Iudæorum conspirationem dete-
xit, *Act.* 23. cognatos Andronicum,
Iuniam, Herodionem, Lucium, Iaso-
nem, & Sosipatrum, *Rom.* 16.

Anno Christi 34. ætatis Sauli 33.

Die 26. Decembris adfuit marty-
rio S. Stephani consobrini, ex
Occumenio, lapidantium vestes ca-
stodiens, & aliorum manibus lapides
proiciens. Et licet adolescens in eo
casu vocetur *Act.* 7. à S. Luca; vox
tamen Græca *στρατις*, ex Budæo, signi-
ficat audacem, & eum, cui statim me-
ritò demandari potuit à Sacerdotum
Principe tuendæ prouincia legis
Moysaicæ.

Per annos sequentes, vsque ad an-
num 43. Henrici Spondani compen-
dium sequimur; qui tamen asserit, se
concordare eum posteriori sententia
Baronij, in priori Annalium diuersa
sententis editione.

Anno 35. ætatis 34.

Die 25. Ianuarij, cum Damalcum
equo vectus, ex Molano *cap.* 13.
de *Picturis*, & Lorino in *Act.* *Apost.*
vel pedibus, ex Aug. *Ser.* 9. de *Verb.*
Apost. postrema, itineris quinta die,
circa meridiem, ex Serrario de *S. Pau-*
lo.

lo, pergeret, à Christo immediatè vocatus, conuersus est, *Act. 9.* orante Stephano pro eo, ait Augustinus. Damasci à Deo eruditur, non per Ananiam, *Galat. 1.* dum tribus diebus orat in domo Iudæ. Ab Anania baptizatus est; & qui cæcus erat visum recepit, accepit cibum, & confortatus est. An de Eucharistia accipiendus erit? Ananias neque Diaconus erat, vt probat Serrarius *loco citato*; ergo cibum, sumpsit communem. Continud non acquieuit carni & sanguini, *Galat. 1.* & Damasci declaratus à Deo Vas electionis, Spiritu sancto plenus, per dies aliquot fuit cum discipulis, prædicans in Synagogis Iesum, quoniam hic est Filius Dei, *Act. 9.*

Anno 36. ætatis 35.

Arabiam concessit, sed ferè statim Damascum redijt, *Gal. 1.*

Anno 37. ætatis 36.

Damasci multò magis conualescebat & confundebat Iudæos: qui & idèd consiliū fecerunt vt eum interficerent: cognitiõ autem insidijs & custodia ciuitatis,

Anno 38. ætatis 37.

In sporta per murum emissus est à discipulis, & iuit ab hostibus liber, *Act. 9.* Ierusalem iuit videre Petrum, quo cum ille mansit diebus quindecim, *Galat. 1.* post annos tres, inquit idem ipse, hoc est, ab anno conuersionis. Barnabas cum duxit ad Apostolos & discipulos, qui eum timebant, *Act. 9.* A S. Petro puto hoc anno consecratum fuisse Paulum Sacerdotem, & Episcopum. Cæsaream

inde & Tharsum redijt, vt patria prodesset, *ibidem.*

Anno 43. ætatis 42.

Antiochiam cum Barnaba petijt, vbi per annum totum conuersati sunt, ita vt eorum opera cognominati sint discipuli Christiani, *Act. 11.*

Anno 44. ætatis 43.

Detulit cum Barnaba collectam pecuniam in Ierusalem ad pauperes, *Act. 11.* & assumpto Ioanne, qui cognominatur Marcus, reuersus est, *Act. 12.* Ibi à Spiritu sancto vnà cum Barnaba segregatus fuit ab alijs, & Apostolaru Gentium initiatus cum Sacrificio Missæ & ieiunio, *Act. 13.* inde abortiuum se vocauit, *1. Cor. 15.* hoc est, supra numerum duodecim Apostolorum: id enim sonat vocabulum *abortiuus*, ex Suetonio in *Octauiæ*. Hoc eodem anno (& fortè statim ac segregatus fuit) raptus est ad tertium cælum, seu in paradysum. qua de re scribit ipse post annos quatuordecim, *2. Corint. 12.*

Anno 46. ætatis 45.

Seleuciam, Cyprum, Salaminam, Paphum se contulit: & in Papho ad Christum conuertit Sergium Paulum Proconsulem, obsecato Mago Iudæo, nomine Bariesu, seu Elyma, qui auertebat Sergium à fide. Hoc autem est primum Pauli miraculum, quod legatur *Act. 13.* Inde à Luca vocatur Paulus, non amplius Saulus vel à primo Ecclesiæ Gentium spolio, Sergio Paulo, ex Hieron. in *Epistola ad Philem.* vel quia cum Iudæis dici volebat Saulus, cum Gentibus autem agens,

agens, Romano nomine Paulus, ex Origene in *Epistolam ad Roman.* Quamquam Chrysostomus putat, à Deo datum illi fuisse Pauli nomen, quo aliquando congruentiori tempore nominaretur; hoc est, post plenam notitiam Iudæorum, quòd ille ipse erat qui Christianos persequeretur. Baronius addit, quòd Sergius illi fortasse suum cognomen communicauit amicitia gratia; quod Emilio- rum familia fuit; sicuti deinde Iosephus Iudæus dictus est Flavius à Tito Flauio gentis. Paulus autem paruum & modicum sonat, qualem se fatebatur. E Papho nauigauit, & venit Pergen Pamphylia, & statim in Antiochiam Pisidia, ubi in Synagoga semel & iterum in Sabbato fusiùs egit de Christo, multiq; conuersi sunt ad Christum; alij tamen zelo repleti concitauerunt contra Paulum & Barnabam mulieres religiosas & honestas, & primos ciuitatis, ut eijcerent illos de finibus suis; qui, excusso puluere pedum in eos, venerunt Iconium, *Aët. 13.*

Anno 47. etatis 46.

I Conij multa passus est, *Aët. 14.* & indicat 2. *Timoth. 3.* Ibidem virginem Theclam desponsauit Christo, ex Nysseno & alijs, quam Pauli primogenitam ideò SS. Patres vocant, & pro Christo protomartyrem inter feminas. Facto verò impetu Gentilium & Iudæorum, ut contumelijs afficerent Paulum & Barnabam, & eos lapidarent, confugerunt ad ciuitates Lycaonia, Lystram, & Derben.

Anno 48. etatis 47.

L Ystris cum esset, claudum ex vtero matris suæ sanauit, quo mira-

culo adorabatur ut Mercurius, quoniam ipse dux erat verbi; sed scissis vestibus occurrens sedauit turbas, non sibi tamquam Deo immolarent: mox ad mortem vsque lapidatur extra ciuitatem. Die sequenti Derben abiit, & ferè statim Lystram redijt, Iconium, & Antiochiam, *Aët. 14.*

Anno 49. etatis 48.

Antiochia degit, confirmans animas discipulorum: & cum per singulas Ecclias constituisset illis Presbyteros, transiit Pisidiam, venit in Pamphyliam, Pergen & Attaliam, *Aët. 14.*

Anno 50. etatis 49.

Nauigauit in Antiochiam, ubi moratus est tempus non modicum cum discipulis, ait Lucas *Aët. 14.*

Anno 51. etatis 50.

Facta seditione non minima de circumcissione Moysaica, delectus est Paulus, ut cum Barnaba & alijs ascenderet in Ierusalem super hac quaestione, *Aët. 15.* Pertransiuit Phœnicem & Samariam cum gaudio magno omnium fratrum, *ibidem.* In Ierusalem vidit Petrum, Iacobum minorem & Ioannem Apostolos, tamquam Columnas Ecclesie, *ad Galat. 2.* quibuscum, coacto primo Concilio, & ipse adfuit. *Aët. 15.* post Petrum locuti sunt Paulus & Barnabas, postremò Iacobus perorauit. A Concilij Patribus missus est Paulus cum Barnaba & alijs Antiochiam vnà cum litteris Apostolicis, de ijs quæ acta fuerant in Concilio, *Aët. 15.* datis priùs inuicem dextris, ut Paulus prædicaret potissimum Gentibus, *Galat. 2.* Qua

de causa cum Petrus Antiochiam venisset, & pro Iudæis agere magis videretur quam pro Gentilibus, Paulus eidem restitit, & eum reprehendit: quod *Gal. 2.* manifestè de se scribit. Dividitur Paulus, Deo ita disponente, à Barnaba, eò quia hic Ioannem Marcum assumere volebat, quem, aliàs timidum probatum, nolebat sibi socium Paulus; qui idcirco assumpto Sila perambulabat Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias, & præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum, *Act. 15.* hoc est, tradita in Concilio superiori. Derben peruenit & Lystram, ubi assumpsit Timotheum, quem & circumcidit, *Act. 16.* Cum autem transiret Phrygiam & Galatiæ regionem, prohibitus fuit à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia; & præsertim in Bithynia, ad quam tentavit ire, cum in Mysiam venisset. Descendit Troadem, ubi per visionem inuitatur ire in Macedoniam. Hoc loco factus est Lucas Pauli comes, *Act. 16.* quo cum à Troade nauigauit in Samothraciã, & sequenti die Neapolim, tum Philippopos, primam Macedoniæ ciuitatem. Lydia purpuraria credidit Deo, & coëgit Paulum habitare in domo sua. Ibidem Pythonissam à dæmone liberauit: quam tamen ob causam, cessante lucro dominorum eiusdem, virgibus cæsus est, carceri interiori mancipatus, pedibus ligno strictis. Eo verò orante cum socio media nocte (*hinc Officij Matutini Ecclesiastici origo apud Christianos*) terræmotus factus est, & statim aperta sunt ostia, & vniuersorum soluta vincula, *ibidem.* Conuertitur carceris Custos cum tota domo eiusdem, qui, lotis Pauli plagis, perduxit eundem in domum suam, & men-

sam ei apposuit cum letitia magna. Manè sequenti exiuit è carcere, rogatus à Magistratibus, ut de vrbe abiret; & visa Lydia & fratribus profectus est, *Act. ibidem.*

Anno 52. ætatis 51.

Visitavit Amphipolim, Apolloniam, Thessalonicam, hospitio exceptus à Iasone Thessalonicensi, ubi multi adiuncti fuere Paulo, ait Lucas *Act. 17.* & de Gentilibus multitudo magna, & mulieres nobiles non pauca; sed concitata plebe à Iudæis contra Iasonem, qui Paulum occulauerat, per noctem dimissus est in Berœam: à qua, post multum fructum verbi Dei, cientes turbas Iudæis de Thessalonica, statim dimissus est Paulus, & perductus vsque Athenas. Seminiuerbius, & nouorum dæmoniorum annuntiator appellatur à Stoicis & Epicureis; à quibus in Areopagum ductus, Ignoratum Deum declarat; Dionysium conuertit, Damarim, quam Dionysij vxorem putant, Chrysoft. *de Sacerdotio lib. 4.* Ambros. & August. tum alios permultos, *Act. loco citato.* Dicitur missus à Paulo ad Dionysium adhuc catechumenum cæcus quidam à natiuitate sanatus; quod affirmat Augustin. *Sermone 29. de Sanctis,* cum Hilduino in *Areopag.*

Anno eodem Corinthum iuit, apud Aquilam, Ponticum genere, diuerit, operatus est manibus proprijs, consuens militaria tabernacula, ex Baronio, *Act. 18.* quam scenofactoriam artem didicerat Paulus adolescens, iuxta patrios mores Iudæorum. Per omne Sabbatum disputabat in Synagoga; & migrans inde, intrauit in domum Titi iusti. Crispus Archisynagogus

gogus credidit Christo cum omni domo sua. Animatus autem Paulus à Domino per visionem nocte, sedit ibi annum & sex menses, *Act.* 18. Ibi- dem ad Thessalonicenses primam Epistolam scripsit, ex Baronio; & signa Apostolatus sui ostendit in omni patientia, in signis, prodigijs, & virtutibus, *2. Cor.* 12.

Anno 53. etatis 52.

Cum adhuc esset Corinthi, scripsit alteram ad Thessalonicenses; & Nazaræorum ritu tonsa sibi capite in Cenchrus, absolutus à tribunali Gallionis Proconsulis Achaia, ad quem adductus fuerat à Iudæis, nauigauit in Syriam, *Act.* 18.

Anno 54. etatis 53.

Ephesum venit, mox promittens reditum ad Ephesios, descendit Cæsaream Palaestinae, & Antiochiam Syriæ: inde aliquanto tempore perambulauit Galaticam regionem & Phrygiam, confirmans omnes discipulos, *Act.* 18. A Galatis excipitur ut Angelus Dei, *Galat.* 4. & tandem redijt Ephesum, *Act.* 19.

Anno 55. etatis 54.

Ephesi degit per triennium, quod fatetur ipsemet *Act.* 20. Super duodecim discipulos per impositionem manuum Pauli venit Spiritus sanctus: & introgressus Paulus Synagogam, per tres menses suadebat de regno Dei, *Act.* 19. Per biennium hoc factum est, ait Lucas, in schola Tyranni cuiusdam, ita ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Iudæi atque Gentiles. Edidit ibidem miracula multa, etiam per

sudaria & semicinctia, hoc est tenentes fascias. Pugnauit cum bestiis, *1. Corint.* 15. id est, cum malis Ephesinis, ait Chrysothomus.

Anno 56. etatis 55.

Ephesi adhuc inermorans expellit à multis dæmonia, excipit confessiones peccatorum; & delatis libris curiosis, & artis magicæ, eos comburit; & computatis pretijs illorū, inuenerunt pecuniā denariorum quinquaginta millium.

Anno 57. etatis 56.

Initio tertij anni, quo degebat Ephesi, ad Corinthios scripsit Epistolam primam; in qua incestuosum quemdam satanae tradidit, hoc est, excommunicauit. Expugnante vero Paulum Demetrio argentario Ephesino, ne lucrum ipsius cessaret, sublata Diana, cum vellet Paulus intrare in populum contra se concitatum, non permiserunt discipuli, *Act.* 19. quibus relicto Timotheo, Ephesiorum Episcopo, *1. Timot.* 1. recessit in Macedoniam, *Act.* 20. Ibi, ex Baronio, vel Laodiceæ, ex Breviario Romano & textu Græco, scripsit ad Timotheum iam Episcopum Epistolam priorem: multa que passus, de quibus ipse *2. Corint.* 1. & 7. dum perambulat Macedoniae partes, venit in Graciam. Cretae creauit Titum Episcopum, *Tit.* 1. Hoc anno passus est ea quæ indicat *2. Corint.* 11. & præsertim trusus est in terribissimum illum carcerem, fortasse Cyzicenum: non enim longè erat à Troade Cyzicum. Appellat autem ipse, ex Beda, profundum maris, in quo fuit nocte & die.

Anno

Anno 58. etatis 57.

• Cvm esset in via Nicopolim versus, scripsit ad Titum, *Tit. 3.* vt conijcit Baronius. Nicopoli deinde hieme proxima scripsit alteram ad Corinthios. Cùm autem per tres menses, ex Luca *Act. 20.* manserit in Græcia, hoc est, ex Baronio, in regionibus ab Achaia vsque in Illyricum; vbi virtute multa signorum prædicauit ijs Euangelium qui nondum illud audierant, quod scribit ipse *Roman 15.* Ibidem à Luca scribi iubet Euangelium, quod in Achaia & Bœotia partibus ait Hieron. scriptum fuisse; & de hoc Paulum intelligere, cùm dicit *2. Timoth. 2.* secundum Euangelium meum. Cenchreas deinde iuit, ex Origene; & ad Galatas, tum ad Romanos Epistolas dedit, ex Chrysostomo. Rursus Macedoniam redit, *Act. 20.* Philippos, vbi Pascha celebrat; & post dies azymorum Troadem venit per dies septem. Postrema die ex his, quæ fuit Dominica, ex Augustino, vsque ad mediam noctem Sermonem protrahens, cadente Eutycho, & mortuo, Paulus eum surgere iussit, incumbens super eum, more fortasse Eliæ & Elisei. Discessit manè navigatione vsus in Asson, Mitylenen, Chium, Samum, Trogylion, ex *Græco textu, & Adonis Martyrologio*, & Miletum; vbi conuocauit Maiores natu Ephesiorum, vt cotamendaret eisdem vniuersum gregem: quibus & vale dixit, non eos amplius visurus. Citauit in ea Concione sententiam Christi, quæ alibi non legitur, *Beatius est magis dare quam accipere.* Orauit in litore flexis genibus, licet esset tempus Paschale, quod nondum Christiano more celebrabat; vel

quia erat oratio priuata, ex Lorino in *Acta Apost.* denique cum fletu magno & pacis osculo sancto profecutus est iter, *Act. 20.* Cùm nauigauit, die sequenti Rhodum, & inde Pataram, mox in Phœnicen, & iuxta Cyprum in Syriam festinauit, & Tyrum, vbi mansit diebus septem. Orauit rursus in litore positus genibus, & descendit à Tyro Prolemaidam, vna die apud fratres immorans: sequenti die Cæsaream concessit Palestinæ: & in domo Philippi Diaconi, è septem primis, per aliquot dies dum maneret, audiuit à Propheta Agabo, quod alligandus erat à Iudæis in Ierusalem, vt traderent eum in manus Gentium; cui nihil timens respondit Paulus: *Ego non solum alligari, sed & mori paratus sum propter nomen Domini Iesu.* tandem peruenit Ierolimam, quem libenter exceperunt fratres, *Act. 21.* Egit cum Iacobo Apostolo & Senioribus, à quibus, ad declinandam Iudæorum inuidiam, persuasus, vt Nazaræorum more se sanctificaret cum alijs quatuor viris (quod facile illi fuit, quia abstemius erat, vt hinc Baronius infert) sequenti die intrauit in templum. Dum autem septem dies consummarentur (Pentecosten tunc celebrabat, ait Chrysost.) ecce populus totus contra Paulum ad mortem vsque, & percutiebant eum. At Lyfias Tribunus cohortis alligari iussit eum duabus catenis, & in quæstionem adduxit. Meruit audire populi voces, quæ contra Christum in Ierusalem: *Tolle eum, Act. 21.* Reputatus autem Ægyptius, quatuor millium sicariorum dux, à Tribuno, se Iudæum probat; & factò magno silentio, stans in gradibus longam Concionem habuit de genere & conuersione sua, *Act. 22.*

X x 2

qua

qua nondum finita, vociferante populo, & proijciente vestimenta sua, & pulverem iactante in aërem, iussit eum Tribunus flagellis cædi, & torqueri; sed cognitus Romanus non cæditur, & liber abit, *Act. 21*. Convocatur Sanhedrim, id est, Concilium Sacerdotum Iudæorum; coram quibus causam agit suam; percutitur os eius Principis Sacerdotum iussu; cui licet prophetando respondeat, *Percutiet te Deus, paries dealbate*: monitus tamen, eum esse summum Sacerdotem, excusat se, quia nesciret, *Act. 23*. Dissensione orta, Pauli arte quadam, inter Sadducæos & Phariseos, ab his Paulus defenditur: nocte sequenti à Domino docetur fore, ut Romæ Christum prædicaret. Interea viri plusquam quadraginta coniurant in caput Pauli, qui à filio sororis suæ de insidijs admonitus, & per eum edocto Tribuno, mittitur Cæsaream cum duobus Centurionibus, militibus ducentis, & equitibus septuaginta. Equo hac vice inuenitur Paulus iter fecisse ad Felicem Præsidem, post horam noctis tertiam, in Antipatridem & in Cæsaream: vbi in Herodis Prætorio usque ad aduentum accusatorum custoditus fuit, *Act. 23*. Accusatur à Tertullo Oratore Iudæorum: defendit se Paulus, & Centurioni traditus, ut eum custodiret, non prohibetur agere cum suis. Vocatur à Præside & Drusilla vxore, quibus de Christo testificatur: & dum disputat de iustitia, castitate & iudicio futuro, contremiscit Felix, & remittit eum in locum suum. Volens autem gratiam præstare Iudæis, succedente sibi Portio Festo, reliquit Paulum vincitum, *Act. 24*. In quæstionem iterum vocatus coram Festo, Cæsaream appellavit, ut Romam

iret, quod à Festo etiam obtinuit, *Act. 25*. Insanire dicitur à Festo, dum de se rationem reddit, *Act. 26*. Et confirmata ab Agrippa Festi sententia, ut ad Cæsarem eat, traditur Iulio Centurioni cohortis Augustæ; quo cum ascendens nauim Adrometinam cœpit navigare circum Asiæ loca, devenit Sidonem ad amicos, deinde Cyprum, tum Lystram, quæ est Lyciæ. Conscendit aliam nauem Alexandrinam, & tarda navigatione vix contra Gnidum, contrario vento, Cretam appulit iuxta Salmonem, & Boniportum tenuit. Periculosa fit ea navigatio, quam describit Lucas *Act. 27*. Et ablata spe omnis salutis, solabatur Paulus eos qui cum ipso erant, præmonitus ab Angelo Dei proxima nocte, quod donauerat illi Deus eos omnes qui nauigabant cum eo. Animatiores ergo facti, sumpserunt cibum, à quo per dies quatuordecim, ob imminentem sæuam tempestatem, abstinerant: sed nauis tandem dissoluta est, nautis & a ijs partim natando, partim tabulis hærendo ad terram eudentibus, ducentis septuaginta sex, vnus Pauli meritis, *Act. 27*. Melitæ subsistit, à Barbaris humaniter acceptus. Hiems erat, imber imminebat, & ecce, congregante Paulo sarmenta quædam ad foundum ignem, à vipera tactus non tamen læditur; unde Deus esse existimatur. Factum est inde, ait Baronius, ut serpentes in ea Insula veneno careant, nihilque inferant detrimenti; imò & terra ipsa, experientia teste, contra venena potens est antidotum. Triduo à Publico hospitio recipitur, cuius patrem oratione & manuum impositione sanauit Paulus, vexatum febribus, & dysenteria: aduenientes item alios infirmos pie curauit.

curauit. Per tres menses ibidem commoratus, probè doctum Publium creauit Insulæ Episcopum, ex Baronio, de quo est mentio in Martyrologio die 21. Ianuarij, ex Adone.

Anno 59. etatis 58.

Relicto Melæ Trophimo infirmo, 2. *Timoth.* 4. alia naui Alexandrina vsus nauigauit Syracusam, vbi triduo mansit: inde Rhegium, & post vnum diem Puteolos venit; vbi cum fratribus diebus septem Apostolicam nauauit operam. Romam iturus itinere pedestri vnà cum Centurione, ad Appij forum, quinquaginta & vnum millia passuum ab Vrbe Roma distans, obuios habuit fratres in agro Setino, alios item ad tres Tabernas (hodie *Cisternam* vocant) triginta tria millia distantes ab Vrbe. Mense denique Maio, ex Baronio, contra Bedam, qui die sexta Iulij, Feria tunc quarta, ex Iosepho Vicecomite *lib.* 3. *de Ritib. Missæ cap.* 18. qui tamen citat incognitum auctorem, ingressus est Romam Paulus, Pontificatus Petri anno decimo quinto, Neronis tertio. Creditur habitasse Romæ primùm in ea domo, quæ nunc est Ecclesia sanctæ Mariæ in Via lata, non procul à platea Columnæ Antoninæ, vbi nunc Ecclesia sancti Pauli nomine à nostris extructa est, si credimus Baronio: à quo idem locus pro Collegio fundando sub extensa manu sancti Pauli, immensæ molis à Sixto V. supra Columnam collocatæ statua, triginta abhinc annis fuit indicatus.

Romæ verò, ferè statim, post tertium diem, ait Lucas, conuocauit primos Iudæorum, quibus aperuit itineris & vinculorum causam, sed eam præcipuam fuisse, vt Romanos vide-

ret, & alloqueretur. Cum Nerone absque dubio egit, derelictus à suis, vt ipse ait 2. *Timoth.* 4. confortatus tamen à Domino, liberatum se dicit ab ore leonis, id est Neronis, *ibidem*. Imò coram Senatu & Collegio Pôtificum egit, quod ipse significat *Philipp.* 1. Permissum est autem manere sibi met cum custodiante se milite, vt scribit Lucas *Act.* *vlr.*

Biennio mansit toto in suo conducto, addit idem: & à Philippensibus pecunia iuuatur, *Philipp.* 4. ab Onesiphoro refrigeratur, 2. *Timoth.* 1. Interea Iudæis & Gentibus cum omni fiducia, sine prohibitione, vt ait Lucas, de Christo loquens, conuertit Torpetem de domo Neronis, & Poppæam Sabinam, Neronis delicias, ex Chrysostomo in *Acta Apost. Homilia* 54. & ex Baronij coniecturis. Ad absentes Epistolas dedit, dum adhuc esset in vinculis, quorum meminit in *isdem*, nempe ad Timotheum secundam, post primam defensionem sui coram Nerone: quo deinde Romæ præsentem, eius etiam nomine ad alios scripsit. Vnà cum præfata ad Timotheum misit Epistolam ad Ephesios per Tychicum Tabellarium.

Anno 60. etatis 59. & vinculorum Romanorum 2.

Per eundem Tychicum scripsit ad Philipenses & Colossenses, nomine suo & Timothei: ad Laodicenses non scripsit, ex Chrysostomo & Theodoro. Dedit etiam litteras priuatas ad Philemonem nobilem Colossensem, cui commendauit Onesimum seruum, qui amore Pauli Romam fugerat: qui postea, in gratiam Pauli libertate donatus, successit Timotheo in Episcopatu Ephesino, ex Ignatio.

X x 3 Episto-

Epistola 14. Hoc anno item scripsisse creditur Epistolam ad Hebræos, ex Chrystostomo in *Præfat. in Epistolas S. Pauli.*

Anno 61. etatis 60.

LVeas absolvit Actorum librum in *Ædibus sanctæ Mariæ in Via lata*, ex constanti Romana traditione. Paulus autem solutus vinculis proficiscitur in Hispaniam, testantibus id quàm plurimis SS. Patribus apud Baronium. Narbonæ reliquit Paulum Episcopum, qui fuerat Proconsul, ex *Martyrologio 22. Martij.* Arelate Trophimum, & Viennæ Crescentem, ex *Adone in Chron. anno Domini 59.* Annis autem sequentibus fortasse redijt in Orientem, sicuti proposuerat anno superiori scribens ad Philipenses, Philemonem, & Hebræos. Incerta sunt his annis septem acta Pauli.

Anno 68. etatis 67.

Romam est reuersus, vt afflictatæ Ecclesiæ vnâ cum Petro succurreret, & collabentem, ait Baronius, instauraret. Simonem Magum simul cum Petro deiecit, ex *Cyrillo Ierosol. Catech. 6.* Pellicem Neronis, & Proculum, eiusdem pincernam, ad Christum conuertit, ex *Chrystost. Aduers. vituper. vita Monast. lib. 1.* quam ob rem in carcerem conijciuntur cum eodem Petro mense Octobri, in quo per nouem menses detinentur, ex *Martyrologio Romano 14. Martij.* Carcer autem fuit Mamertinus, ex eodem *Martyrologio. ibidem:* in quo erumpente aqua mirabiliter è petra (& adhuc durat) baptizati fuerunt *Processus & Martinianus cū alijs 47.* qui pro Christo martyres occubuerunt.

Anno Christi 69. etatis Pauli 68.
ait *Chrystostomus, Pontificatus Petri 25. Neronis 13.*

Martyrio proximus Apostolus noster, populo enixè eum rogante & cogente, vnâ cum Petro fugam arripuit, ex *Actis sanctorum Processi & Martiniani.* Cui pariter dixisse Dominum, Denuò debeo crucifigi, scribit *Origenes in Ioan.* Sed hæc verba hausit *Origenes è libro apocrypho,* vt ipse indicat, & *Baronius* notat *anno 69.* Illud creditur, quòd Paulus præseuerit diem obitus sui, & docet *Dion. Carth. cum Aria in cap. 20. Ad.* fortasse & genus mortis, cum dixerit: *An gladius?* loquens de passionibus suis, *Rom. 8.* Ad columnam itaque ligatur, quæ extat hodie in Ecclesia sanctæ Mariæ trans-pontem, & caeditur flagellis, tamquam sacrilegij & impietatis reus, licet Romanus cuius fuerit agnitus; quem idcirco ferendum gladio subiecit Nero. Exit extra portam Urbis, in qua à *Plautilla* velum recipit, quo in morte obduceret de more oculos: atque inter eundem tres milites adiungit Christo, *Longinum, Acestum & Megistum,* ex *Martyrolog. Romano die 2. Iulij.* Salutato Petro ultra portam, ab eo diuiditur vtrò citroque verbis honorificis. Extat ibidem Oratorium, diuisionis huius monumentum. Ad aquas autem *Saluias,* seu guttam iugiter manantem, extra portam *Ostiensem,* tertio ab Urbe lapide, perductus (vbi Christianorum aliquando carnificina est habita) fuis prius ad Deum precibus, datoque pane fratribus, ex *Metaphraste,* hoc est *Eucharistia,* ex *Guilhelmo Eysengre. in Centur. 1. part. 5. distinct. 1.* lignoque Crucis sese mun-

nito, & ijs verbis, *Domine Iesu, in manus tuas commendo spiritum*, ex eodem *ibidem*, velatis oculis, capite inclinato, alacriori animo iugulum præbuit, die 29. Iunii: quæ fuit Feria 4. ex Alphōso Ciaconio in *Vita S. Petri*. Mira res, effluxit lac cum sanguine, ex Ambrosio *Sermone* 68. & Chrysoft. *Orat. in Princ. Apost.* Et capite Pauli inuocante nomen Iesus, ex præfato Guilhelmo, clara voce, & ter saltum ibidem dante, erupisse dicitur tres aquæ dulcis fonticuli: quorum primus dulcior lactis sapore in aliqua ex parte reddit, ceteri non longè à primo, paulò diuersum gustui saporem afferunt; quia, vt diximus, lac primò venæ dederunt, & inde sanguinem. Gladius hic, quo Pauli cernix incisa fuit, seruetur ab Hispanis in cœnobio S. Hieronymi de la Silla, teste Illephonso Giron cit. à Claudio Dauisquio, de *Pauli sanctitudine lib. 3. cap. 11*. Corpus illius, de quo suauissimus odor efflabat, & supra quod immensa lux micabat in aëre, ex Petro de Natal. *libro 6. cap. 23*. à Lucina in suo prædio via Ostiensis tumulatum fuit. Ipsemet Paulus restituit Plautillæ velam post mortem: Neroni quoque post triduum apparuit, vt ei prædixerat, & consternatus est, ex Nicophoro *lib. 2. cap. 36*. Ab Orientalibus aliquando corpus eius sublatum fuit, vt in Orientem asportarent, sed fulmine de cælo iacto retinetur Romæ; & ab eo tempore sepulchrum esse docet, vbi nunc quiescit, sanctus Gregor. *Papa lib. tertio Epist. 30*. vbi etiam de catenis eiusdem illud miraculum narrat, quòd aliquando ducta lima per eandem, nihil penitus excuti potuit. An quia ille viuens ad patiendum paratissimus, post mortem quoque sic catenarum auarissimus?

Statura illius tricubitalis erat, ex Chrysofomo loco proxime citato, facies candida, caput modicum, oculis inerat gratia multa, supercilia deorsum versus vergebant; nasus pulchrè inflexus, idemque longior; barba densior, & satis promissa, eaque non minus quàm capitis coma canis aspersa erat: corpus incertum, & paulò inflexum. Hæc Niceph. *lib. 2. cap. 37*. Perpetuò cælebs fuit, ex SS. Patribus in *1. Corinti. 7*.

Innumeros habuit discipulos: è quibus nobiliores hi qui sequuntur, numero 120: recensiti in Romano Martyrologio, nimirum,

MENSE IANVARIO.

- Die 4 Titus Cretensium Episcopus.
21 Publius Melitenus Episcopus
& mart.
24 Timotheus Ephesiorum.

FEBRUARIO.

- 16 Onesimus Ephesiorum Episcop.

MARTIO.

- 14 Quadraginta septem Martyres.
15 Aristobulus Martyr.
20 Archippus Commilito.
22 Sergius Paulus Narbonæ Episcop. & Epaphroditus Tarracina Episcop.

APRILIO.

- 8 Herodion, Asyncritus, Phlegon.
15 Basilissa & Anast. Martt. Rom.
29 Tychicus minister fidelis.

MAYO.

- 9 Hermas Romanus.
15 Torquatus cum sex alijs Martt.
17 Torpes Martyr.

19 Pudens Senator & Pudentiana.
26 Quadratus Atheniensis.

I V N I O.

19 Gernasius & Protasius, *ex P. Damiani Opusc. 5.*
20 Nouatus & Timotheus, Pudentis filij.
24 Plurimi Martyres.
25 Sospater.
27 Crescens Episc. & Martyr Galata.
30 Lucina Romana.

I V L I O.

1 Martinus Vienna Episcopus.
2 Tres milites in martyrio Pauli.
19 Epaphras Colossensis Episc. & Martyr.
21 Praxedes virgo.
22 Syntyches mulier Philippensis.
26 Erastus Philip. Episc. & Martyr.

A V G V S T O.

3 Lydia purpuraria.
4 Aristarchus Thessalonic. Episc.

S E P T E M B R I.

3 Phœbes Corinthia.
6 Onesiphorus Martyr.
16 Sebastiana Martyr.
23 Linus, & Thecla virgo & Martyr.
Xantippa & Philoxena Hispan.

O C T O B R I.

4 Crispus & Caius Corinthij, Hierotheus Atheniens. Episc.
6 Sagar Laodiceæ Episc. & Mart.

9 Dionysius Arcopagita Episc. & Mart.

11 Zenaides & Philonilla confanguinea Pauli.

13 Carpus.

18 Lucas Euang. *ex Hieron. à Paulo in Evangelio genitus.*

31 Ampliatus, Urbanus, & Narcissus Mart.

N O V E M B R I.

3 Quartus.

4 Philologus & Patrobas.

10 Tryphenna & Tryphosa, Iconienses.

21 Rufus.

22 Philemon & Apphia Coloss. Mart.

23 Clemens Papa, *ex Ribadencera.*

28 Sosthenes Corinthius Mart.

D E C E M B R I.

18 Rufus & Zosimus Philip. Mart.

29 Trophimus Arclaten. Episc. & Crescens Vienna Episcopus.

Fauit denique Constantino Magno: apparuit sancto Ambrosio, *ex Damasceno Oratone 2. de Imag.* Docuit sapiens Chrysostrum, *ex sancto Proclo eiusdem discipulo in eius Vita.* Patronus & Pater est Clericorum Regularium ab anno 1528. cui summè deijuncti sumus. Vnam Deum eum in nobis excitet spiritum, cui beatus Paulus seruiuit, ut eodem nos repleti, studeamus amare quod amauit, & opere exercere quod docuit

D E